



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Roche-posay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

A Io II. Creati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

94 *Nomencl. Sanctæ Romanæ*
Vixit an. 58. mens. 9. di. 27. Franciscus Cardinalis Senensis,
Auunculo Sanctissimo f. 1464.

A IO II. CREATI.

B. ALEXANDER OLIVA Saxoferratenfis. ord S. Augustini Cardinalis, alti meditamenti aduſuetudine mortem, quam conſtans & libens lætitiâ non adumbratâ excepit, inter proſpera ducebat: & quotieſcumque in priuato Sacello ædibus concluſo orationi inſtabat, ſepulchrum in ſcrinii ſpeciem compoſitum, effigieque eius velut demortui ſimilitudinem referente depictum, nullo domeſticorum in conſcientiam aſſumpto referare ſolitabat, ſuamque imaginem intentis oculis inſpectabat, vt ex oratione liquet, quam in eius funere Antonius Campanus habuit. ſcripſit

De Chriſti ortu Sermones 100.

De Cœnâ cum Apoſtoliſ factâ.

De peccato in Spiritum Sanctum.

Orationes elegantes.

Aliâque multa, quæ derepente ſublatus emendare non potuit. Romæ iacet in æde S. Auguſtini cum hoc Epitaphio.

Alexandro Oliuæ Saxoferratenſi, Theologo eximio, Eremitarum Beati Auguſtini ab infantia ſpei maximæ alumno: Qui cum eſſet ordinis Generalis, Cardinalis à Pio 2. ignorans creatus eſt. Vixit annos 55. Obijt anno Salutis 1463.

Vt tibi ſola dedit Probitas, non gratia ſoli,

Digno Cardinaum nomine reque decus.

Sic eadem indignis raptum dum tollit ad aſtra

Felix, hoc inquit Principe Roma foret.

FRANCISCVS PICOLOMINÆVS Senensis, Cardinalis, qui postea Pius Papa 3. humanioribus literis perpolitus in Perusino Gymnasio doctoratus insignia suscepit, Piique 2. patruī sui vestigia subsecutus doctos deamavit, literisque quantum per occupationes licebat iugiter incubuit, etsi nulla extent grauioris doctrine monumenta, præter epistolas quasdam fortè fortuna datas ad Marsiliū Ficinum, Sabellicū, Angelū Politianum, Augustinum Dathum, Ioannem Reuclinum, Capnionem, & Iacobum Sylueriū Episcopum Cremonensem, quibus eruditionis suæ specimen prospectandum dedit. Plures item ad eum leguntur, præstantissimorum virorum Epistolæ, nempe Sabellici 3. Marsilii Ficini 4. Antonij Campani 23. Augustini Dathi 6. Cardinalis Papiensis 26. Philelphi vero Politiani, Aldi Manutii senioris, Lipi Brandolini, & Hermolai Barbari aliquot. Romæ iacet in Basilica B. Petri Vaticana cum hoc Epitaphio.

Pius tertius Pontifex Maximus à Pio 2. auunculo duos & viginti annos natus in Cardinalium Collegium adscitus, urbis ac Piceni Legatione integerrimè functus, à Paulo 2. ad Federicum 3. missus, ut Germanorum arma in Turcas concitaret, conuentum frequentissimum Pontificis morte dissolutū habuit; Sub Innocentio 8. Umbros dissidentes pacauit; Carolo Galliarum Regi Italiam irrumpente ab Alexandro 6, serò ad modum obuiam missus, eo mortuo duodequadragesima Patrum suffragiis Pontifex creatus, dum de restituenda in pristinam maiestatem Christianam Rep. ac urbe agit, sexto & vigesimo die è tanta expectatione rerum, publico omnium luctu decessit, eloquio, prudentiâ, religione, innocentia & grauitate, domi forisque insignis, in dicendis in Senatu sententiis liber & grauis. Vixit annos 64.

dies 20. Obiit anno salutis Christian. 1503. 15. kal. Nouembris. Iacobus & Andreas Fratres Sanctissimo posuere.

IACOBVS MENS BONA seu AMANATVS Lucensis Episcopo Papiensi Cardinalis, vir, si quis alius suo sæculo, latinè signatèque scribendi peritus, sub Carolo & Leonardo Aretinis Poëticæ & Rhetoricæ operã dedit, Romamque primùm veniens Dominico Capranicæ Cardinali Calixtoque deinde 3. à secretis fuit: Visuntur Philelphi ad eum Epistolæ 21. Campani 68. item Ficini & Politiani aliquot. Scripsitque, vt in eius vita notat Iacobus Volateranus,

Pontificum vitas, quæ æmulorum malignitate deperditæ sunt.

Commentarios quibus annorum ferè quinque historiam complexus est.

Epistolas supra 600.

Versus magis argutos quàm suaves.

Orationem in Florentino Gymnasio habitam inter initia prælectionis suæ.

Itinerarium, seu Legationem ad Genuenses Dominici Capranicæ Cardinalis.

Et alia quædam. Romæ iacet in æde S. Augustini cum hoc Epitaphio.

*Luca ortu, Sena lege fuit mihi patria, nomen
Dum vixi Iacobus, Mensbona pro genere.*

*Papa Pius sedem Papiensem detulit, idem
Cardineo ornauit munere, gente, domo.*

Vixite qui legitis, caelestia quærite, nostra hæc

In cineres tandem gloria tota redit.

Obiit a-

pud Laurent. Vulsiniensem anno salutis 1479. x.

*Septembris in urbem relatus piâ familiâ domestica
prosequente*

prosequente hic conditus. Xisti quarti Pontif. Max. beneficio.
Vixit annos 57. menses 6. dies 2.

CREATI A PAVLO II.

quem Philephus Epistolâ quadam sua ad Xistum
4. non solum à maleuolorum calumniis de-
purgat, sed & Sanctissimum Pötificem
fuisse commonstrat ex facili, quicquid
maledicentissimus Platina pro-
cacibus scriptis, auaritiâ
dictante, blateret.

THEODORVS LELIVS ex Episcopo Taruisino
Cardinalis, obiit ante adeptum pileam, moribundoque
affuit Paulus 2. qui piis adhortationibus & signis cha-
ritatis, vrgentē mali vim temperare conatus est, scripsit
Apologiam fœderis Venetorum & Sigismundi
Auftriaci.

Gratulationem pro Pio 2. ad Venetiarum Ducē.
Orationes quinque, videlicet.

1. Ad Regem Francorum pro Pio 2. de defensione
Iustitiæ Inuestituræ Regni Siciliae.
2. Ad eūdem Regem pro defensione fidei Catho-
licæ & præsidio contra Turcas conferendo.
3. Contra Hussitas & de iusto Anathemate Sigif-
mundi Auftriaci & Palatini.
4. Ad Burgundiæ Ducem pro acceleranda expe-
ditione in Turcas.
5. Aduersus Sigismundum Auftriacum pro restitu-
tione Præpositi Brixiniensis. Quæ omnia extant
in Bibliotheca Cardinalis Sirleri.